



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

§. 1. De accusatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

Quod dicitur, *salvis aliis constitutionibus*, ad leges civiles spectat, secundum quas corruptas prece, vel precio Iudex, vel pœna capitali, vel deportatione in insulam punitur, arbitrio Iudicis, qualitatem delicti æstimantis ex l. *lul. repetundar. vel lege Cornel. de fals.* In particulari, si pretio accepto malè iudicaverit, sententia nulla est. l. *Vanales, C. quando provocare non est necesse.* Si per gratiam, sententia est aliqua, sed rescinditur per restitutionem in integrum. *Glo. in l. Servo*

invito. §. Cum prator. tit. ad Trebell. & prætere a litem facit suam, cum notâ infamiae l. fin. C. de pœn. Iud. qui malè iud. Quando Iudex corruptus est, & constitutiones Principum neglexit, in pœnam falsi incidit. l. *1. §. 1. tit. de falsi. Privatieriam dignitate, & officio potest. l. Iudices, & ibi Bart. ac Io. de plat. C. de Dignitatib. l. 10. Ang. Aret. in Tract. malef. v. procedamus ulterius. Farinac. in Praxi Crim. q. 111. à nu. 15. Marcus Par. 1. Decis. aur. q. 686. Barb. in c. Cum æterni. cit.*



TITVLVS III.

De ipso Processu Iudicii.

Res invenio modos procedendi. *Primus* exercetur per accusationem. *Secundus* per denunciationem. *Tertius* per inquisitionem. Neque permittitur Iudici aliam viam insistere, aut privatâ notitiâ, vel arbitrio lites decidere, ne multùm agendo nihil agat, seque pœnis non mediocribus objiciat.

§. I.

De Accusatione.

I. **Q**uod dici solet, sine accusatione iudicium non fieri, verum est, si nomen accusationis latè accipias, tam

pro verâ, ac formali, quàm pro æquivalente. Subinde enim facinus innotescit iudici per libellum oblatum, qui accusationem continet, aliquando per denunciationem, aliquando per querelam simplicem; aliquando denique evidentia facti, & forma clamorosa viam iudicii aperit. Hodie in plerisque regnis, ac provinciis constituti sunt Syndici, quorum munus deferre crimina, quæ vindictam merentur. Quin etiam de quolibet delicto inquirere iudex potest modo rumor, aut clamorosa fama præcedat l. *1. §. defensores tit. de muner. & honor. Tholosan. l. 49. syntagm. c. 5. lul. Clarus §. fin. Q. 3.*

II. Accusatio formalis est delatio criminis

inimis in libello accusatorio ad publicam vindictam legitima interveniente subscriptione.
aza l. 9. §. 1.

Quod dicitur ad publicam vindictam, distinguit accusatorem proprie dictum ab actore. Hic enim, quod sua interest, potissime querit: accusator vero reip. bonum principaliter intendit, ut nimirum scelerati homines puniantur, & resp. liberetur. *Roder. Tom. 4. tit. 6. c. 4. Silv. v. accusation. 1.* Unde duplex libellus, accusationis in criminalibus, & conventionis in civilibus. Attamen ut semper scripto concepta accusatio sit, ad substantiam non pertinet, sed ad solennitatem. Sufficit etiam verbaliter proponere, & à Notario excipi. Similiter nomen accusantis, & accusati, dies & annus, quo fit accusatio, imò locus delicti addi solent. Omnia tamen non faciunt irritam accusationem. *Speculat. 3. par. Rubrica de libellis. Ferrar. practica de forma libelli §. Quot sint.*

In libello conventionali explicandum est, quis, quid, coram quo, quo iure petatur & à quo. Nomen actionis ut conceptis verbis exprimat, iure Canonico non requiritur. *c. dilecti de iudic.* quia ex causa petendi intelligi potest. Hæc igitur exponenda sive proxima sit, ut in personali obligatio, in reali dominio; sive remota, qualis in actione personali est contractus, in reali factum, ex quo causatur dominium v.g. quod res sit legata, vendita, tradita. &c. *Val. l. 2. tit. 3. n. 6.*

Illud quoque memineris, quod libellus accusatorius inscriptio appellatur, libellus conventionis autem postu-

latio inscribere dicitur, qui nomen suum subscribit, ad pœnam rationis videlicet, quæ hodie tublata. *l. pen. C. de accus. l. 2. §. fin. de adul. Lancel l. 4. tit. 1.*

III. Libellus igitur non est necessarius *Primò*, cum summarie, & sine strepitu agitur, ut in causis beneficialibus, matrimonialibus, decimarum, & usura. *c. Dispendiosa. Clem. de iudicis. Secundò*, si reus non desideret libellum. *Tercio* cum causæ leviores, & breviores sunt. *Quarto*, si contraria consuetudo sit. Denique aliis de causis, quas speculator explicat in *3. par. de libell. Vallens. l. 2. T. 3. n. 9.*

Præterea non est cogendus qui accusatur, statim respondere libello, sed tempus 20. dierum iure communi habet ad deliberandum, an expediat litigare, an recusandus Iudex, an quæ exceptiores adsint. *Auth. Offeratur. C. de litis contest.* Non ita tamen fixum est illud temporis spatium, ut ob iustas causas contrahi à Iudice, vel extendi non possit. *Bald. l. 1. Consil. 438. Cardin. Tuschus Concl. 301. & 302.*

IV. Libellus accusationis, ut à peritis observatum est, syllogismum iuridicum continet, hoc ferè modo. Causa accusator dicit. Operatio debetur merces sua, uti conventum est. At Titus convenit mecum de uno aureo. Illum igitur ut mihi præstet, postulo. Vbi maior propositio regulam generalem continet. Minor facti speciem: Conclusio petitionem. Assumptionis probatio incumbit actori. *l. 2. Tit. de probat.* Quod si reus excipiat, à se pridem factam solutionem esse, onus probandi in se trans-

ferre

fert. l. In exceptionibus. Tit. de probat. ubi Glossa, sicut actor intentionem suam, ita reus exceptionem probare debet.

Eiusmodi libello parato rogatus Iudex reum citare debet, eoque præsentem offertur Iudici, & per hunc reor: atque ita censetur iudicium inchoatum. Lis verò contestata, cum ad petitionem actoris, respondit reus animo confitendi. c. *Dudum Ecclesia*. §. *Licet, de elect.* & c. 1. *de litis contestat.* *Oldrad. Consil. 108.* *Iason Instit. de action. init. n. 19. & 20.*

V. Quamvis in uno libello plures simul actiones, quarum singulis respondeat accusatus, & totidem sententiæ ferantur, includi queant, summo operè tamen vitanda obscuritas est, ne fortè à Iudice rejiciatur: quamvis non continuè id faciendum, quandoquidem ex processu, & probationibus futuris dilucidari potest. Hoc tamen si non præstetur, absolvi reus poterit, relicta potestate actori iterum experiendi.

Monet etiam *Vurmserus T. 9 obs. 3.* si actor libellum suum emendare velit, & quod malè conceptum, in melius reformare, id faciendum ante litem contestatam, nisi ipsa mutatio tangat principaliter ipsam rem, quantitatem, vel qualitatem in libello petitam. At quando libellus omninò ineptus est, Iudex reum ab observatione iudicii absolvere debet & actorem in expensas damnare. Censetur autem ineptus planè, quando ex eo non concluditur ius agendi. *Gaill. l. 1. obs. 66. & 67.*

VI. Libellum generalem, & incertum rejiciendum esse, ex c. *significationibus. De libelli oblatione DD. apud Barbos.* citati colligunt. Sed limitatur *Primo* in pe-

titione fructuum, usurarum, damnorum, expensarum, & interesse. *Secundo* in civilibus parte non opponente. *Tertio* in petitione hæreditatis. *Quarto*, quando incertitudo nascitur ex parte ipsius rei. *Glo. & Bart. in l. 1. §. quia autem. Tit. Legatorum.* Iam quod ex eodem capite desumunt libellum alternativum non valere, etiam limitandum est. *Primo* si agatur de rescissione contractus in materia *legu 2. C. de rescind. vend.* *Secundo* in actione hypothecaria qua ex. c. *peto Titium* condemnari ad traditionem rei hypothecaræ, vel ad solvendum debitum. *Tertio* limita in minore, qui potest libellum alternativum facere dicendo contractum nullum esse, vel si validus, rescindi, seque in integrum restituis, *Constitutus. de in integr. restit.*

Ad extremum ambiguis, & obscurus libellus qualibet industria sublevandus est, ut effectum habeat: quem in finem etiam verba impropianda sunt, & deligenda interpretatio, quæ actoris mentis favorabilior. v. *Hemmingum Consil. 43. n. 1. G. ill. l. 1. obs. 61. & sequi Bald. Consil. 166 Tuschus Conclus. 305. 308. & sequi.*

VII. Fit aliquando, ut libellus non Iudici offeratur, sed instar pasquilli publicè proponatur, in quo Iudex requiritur, ut de tali vel tali crimine instituat examen, & puniat, non addito acculantis, vel denunciantis nomine. Qui modus non sufficit ad Iudicem permovendum, aut compellendum, quamvis post eiusmodi monitionem procedere possit ex officio, imò debeat. *Primo*, quando antecessit publica infamia. *Secundo*, si crimen perniciosum sit in futurum, v. *g. de parricidio, direptione urbis, vel incen-*

incendio procurando. In tali casu cau-
tè inquiret ad eruendam veritatem, &
auertenda pericula *Tholos. l. 38. c. 6. Mol.*
D. 35 Laym. l. 3. tr. 6. c. 3. Iul. Clarus §. fin. q.
68. Tuschus Concl. 321.

VIII. Omnibus accusare licet, quibus
iure interdictum non est, quemadmo-
dum Marcellus IC. respondit. Ad in-
terdictum igitur respice. Illud tribus
causis nititur. *Prima* est, delictum pro-
prium personæ, ob quod repelluntur ex-
communicati, infames, publici peccato-
res, usurarii, & his similes. *c. Prohibentur. 2*
q. 1. l. qui accusare. Tit. de accus. Secunda est
indecentia, propter quam subditi ve-
tantur accusare prelatos suos, serui do-
minos, filii parentes *c. cit. prohibentur:*
fratres, & sorores in vicem. *l. si sororem C.*
de accus. Tertia est conditio status. unde
clerici non debent accusare laicos, nec
laici clericos. Hæc omnia tamen suas li-
mitationes habent, ut sequi s. patebit.

Nunc ad particularia veniendo, ac-
cusatio prohibetur pupillo, mulieri, ma-
gistratui, militi, infami, & qui duo iudi-
cia aduersum duos reos subscripta ha-
bet, vel pecuniam ad accusandum, vel
non accusandum accepit: item filio pa-
trem, & alumno patronum suum: item
suspecto de calumnia, pauperi, & qui
minus quam 50. aureos habet.

Excipe, nisi hi injuriam suam prole-
quantur, mortemque propinquorum
defendant. Tunc enim ad accusandum
admittuntur, exceptis tamen liberis, li-
bertis, & alumniis, quibus tantum civi-
liter conuenire suos parentes, & patro-
nos permittitur. *l. Qui accusare cum duabus*
sequentibus. Tit. de accus. l. Hi tamen. v. liberi.
l. iniquum. 17. C. de his, qui accus. non poss.

Præter hos iure Canonico non ad-
mittuntur ad accusandum, inimici, &
eorum domestici, nec criminofus ad ac-
cusandum alium criminofum, nec laicus
clericum. *c. de cetero. de testibus.* nisi in sua,
& suorum iniuria. Potest etiam clericus
accusare malefactorem suum laicum
ita tamen, ut expresse profiteatur, se non
intendere vindictam, seu pœnam san-
guinis. *Fill. Tr. 19. c. 9. n. 246.* Eodem
iure repelluntur viles, aliæque non pro-
batæ personæ ab actione contra cleri-
cos, dummodò reus, clericus harum
consuetudinè antea usus non fuerit.
Thol. l. 49. c. 2. Roderic. To. 1v. T.
6. c. 10. Camf. l. 4. T. 19. qui multis ju-
ribus confirmant.

NOTA. In atrocioribus criminibus
puta, læsæ maiestatis, hæresis, simoniæ,
& similibus, omnes ad accusandum ad-
mittuntur. *c. pen. C. de iis, qui accusare. c.*
Tanta. 7. c. Licet Heli. de simonia. Diaz. in
Pract. crim. c. 99. Roderic. Tom. 1v. T. 6.
c. 2. & 3.

IX. Ad accusandum, & defenden-
dum procuratores admittuntur, qui
mandatum ad lites persequendas ha-
bent, *Paulus in l. 2. & 4. Vlp. l. 1. & 3. de pro-*
cur. Advocati quoque qui interdum suã,
interdum amici causam exponunt, vel
defendunt, *Vlp. in l. 1. Tit. de postul.* Ad hos
etiam pertinet procuratori consilium
dare: prohibentur verò Iudicis, vel as-
sessoris officium assumere.

Per defensorem quoque agi potest,
modò is de rato satisfecerit. Differt enim in
hoc à procuratore defensor, quòd sine
mandato domini, illius causam tuetur
sunt nihilominus causæ quædã, quæ nec
defensorem, nec procuratorem admit-
tant,

tant, sed ipse reus & actor comparere debet. Eius generis censetur causa criminalis criminaliter intentata, quamvis excusationem absentiae suae transmittere ad Iudicem ipsis permittatur. *Vlp. in l. servum quoque de Procur.*

X. Iuramentum calumniae actori, & reo commune est. Renuens actor causa cadit; reus vero pro confesso habetur. *c. ult. de iuram. cal.* Quid contineat, haece versibus continetur.

*Illud iuretur, quod lis sibi iusta videtur,
Et si quaretur, verum non inficietur,
Nil promittetur, nec falsa probatio detur,
Vt lis iraderetur, dilatio nulla peretur.*

Si tamen ex probabili causa omissum fuerit, non nocebit processui, & iudicio. Idque Camerae Spirensis maximè praxis docet, teste *Ca. ill. l. 1. obs. 84. n. 3.*

§. 2.

Satisfit Dubiis de accusatione.

Dub. 1. An unquam teneatur aliquis accusare?

Dominicus Bannez. q. 68. ar. 1. sex conclusiones format. Prima est, accusare aliquem in iudicio licitum est: 2. accusatio aliquando est licita, & non in praeccepto. 3. Filialis, quotiescunque potest licite accusare tenetur ex praeccepto accusare. 4. Non solum tenetur civis particularis accusare crimina, quae immediate laedunt bonum publicum, sed etiam illa, quae fiunt contra privatas personas, quae redundant in malum publicum, & per punitionem pro- videtur bono publico. 5. si accusatio ne-

cessaria sit ad defensionem alicuius innocentis, tenetur homo accusare, protestando tamen, si fuerit clericus, quod non intendit punitionem malefactoris, sed defensionem innocentis. 6. Multis titulis potest contingere, ut aliquis teneatur accusare, *Primus* est propter bonum Reip. quia patitur damnum ex eo, quod aliquis particularis patitur injuriam. 2. ut homo non sit prodigus, & sine causa permittat perire censum suum, aut honorem: 3. est, ex charitate propria sui ipsius, ut si homo timeat sibi ipsi, ne sine honore, & divitiis facile incidat in peccata mortalia. Idem dicendum, si habeat familiam, quam debet alere, & quomodo libet habeat censum, aut honorem obligatum aliis. *Ita Bannez.* maiore conatu, quam fructu. Supposito igitur, sermone esse de accusatione proprie dicta.

R. Absolutè loquendo, nemo unquam accusare alios tenetur. *Ratio*, quae non potest fingi casus, ubi relicta accusatione propria dicta, alia media non sufficiant. Vel enim agendum est civiliter, vel criminaliter, si civiliter, hoc est, in nostram utilitatem, possumus cedere juri nostro, & remittere debitum: si criminaliter, loco accusationis adhiberi potest querela, vel denuntiatio. Cum enim haec, ut *Bannez* fatetur, ab accusatione accidentaliter tantum differat, iudici sufficienter aperit viam ad cognoscendum, puniendum, vel etiam providendum. Unicus casus est, quem ex *soto Cardinali Lugo dif. 8. sect. 1.* obiicit, si damnum aliquod communitati imminet, cui statim occurrendum sit, nec tempus inquirendi superpetat. Iudici verum non video, cur hic accusationem requiramus. Idem enim & forte facilius.